



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

De tentationibus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

In Tentationibus.

IN illis animus eo ferme se geret modo, quo in distractionibus. Idcirco postquam ingentem erga ipsas conceperit horrorem, simpliciter illas ex mente sua expungere conabitur, illas deserendo atque ad Deum se quam affectuosissimè convertendo, meliorique quo poterit modo ad propositam redeundo materiam. Quid verò si importunæ illæ sint ac violentæ?

1. **I.** Protestabitur coram Deo, se nunquam illis consensurum.
2. Secundò humili cum resignatione offeret illi molestiam ex cogitationibus tam horrendis conceptam.
3. Deinde, etsi miserrimi status existat, nihilominus subinde conabitur Deo dicere aliquas laudes, sive mentaliter id fiat, sive etiam vocaliter.
4. Denique eliciet aliquos actus patientiæ, resignationis, conformitatis suæ cum voluntate divina, atque adorationis, addendo, (si oratio fiat in particulari) aliquos actus exteriores mortificationis, v. g. brachiis in modum crucis extentis durante psal. *De profundis* consistendo, humi se abjiciendo, vultuque terræ affixo jacendo, pectus tundendo, absque tamen violentia, ac similia exercendo, quæ animæ huic plus conferent emolumenti, quam tentatio intulerit detrimenti.

*Faciet
cum ten-
tatione
proventiū,
I. Cor. 10.*

13.

Quid